

bel, preceptoris in Rotwil, dicti fratris Hermannii legitimi procuratoris, cum omnibus suis iuribus et pertinenciis quibuscumque, cum honoribus et oneribus omnibus et singulis sibi annexis necnon sub annua responsione florenorum de Florencia boni auri et iusti ponderis solvi consuetorum et aliis quibuscumque oneribus impositis et imponendis per supradictos reverendissimum dominum magistrum et conventum dicte domus solvendo et solvendis eidem venerabili fratri Wenceslauo de baronum regni Bohemie genere procreato tamquam digno et benemerito invicem deliberato consilio per eum regendum, gubernandum et augendum, quoad vixerit, tam in spiritualibus quam temporalibus dictarum litterarum vigore nobis, ut premittitur, directarum tenore presencium eciam sub infrascriptis pactis et condicionibus in presenciarum litterarum tenore exprimendis et declarandis concedimus ac eciam commendamus, titulo tamen ipsius prioratus apud eundem venerabilem fratrem Hermannum Ow remanente, ita quod idem Wenceslaus de fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis eiusdem prioratus disponere et ordinare ac in suam et dicti prioratus utilitatem convertere libere et licite valeat, sicut veri priores dicti prioratus, qui pro tempore fuerunt, de illis disponere potuerunt, alienatione tamen aliquorum bonorum immobilium seu preciosorum mobilium iuxta stabilimenta, statuta et ordinata ordinis sepedicti sibi penitus interdicta. Volumus autem, disponimus et ordinamus ipsorum venerabilium fratrum Hermannii et Wenceslai ad id accedente consensu, quod idem frater Wenceslaus preter annuas responsiones et alia onera imposita et imponenda per eum solvendas et solvenda tam reverendissimo domino magistro quam communi dicti ordinis thesauro supradicto fratri Hermannio vel procuratori suo ab eo specialiter constituto centum florenos Renenses boni auri et iusti ponderis annuis singulis loco et termino sibi assignandis solvere et consignare teneatur. Et si prefatus Wenceslaus propter turbacionem privarratam [!] in solucione florenorum eorundem nimium gravaretur, hac vice dumtaxat summam huiusmodi iuxta sue consciencie arbitrium rationabiliter moderetur. Et similiter, si ad pristinam [!] status [!] dictus prioratus divino beneficio reducatur vel saltem ad talem restauracionem, quod maius onus possit verisimiliter sustinere, quod in eo casu^d eodem modo pro sue consciencie arbitrio dictam summam augeat et amplificet dolo et fraude semotis quibuscumque. Item volumus, disponimus et ordinamus auctoritate nobis a supradictis data et attributa per alias ipsorum autenticas

d) *so für* casu